

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:

Director: Mag. Renate Plöchl

Deputy director: Mag. Julian Sagmeister

Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek

Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:

Email: [landesbibliothek\(at\)ooe.gv.at](mailto:landesbibliothek(at)ooe.gv.at)

Telephone: +43(732) 7720-53100

plurima pro cultu divino in eadem parochia exposuit, sed tandem pertaesus huius loci et parochiae post unum atque alterum annum eandem parochiam alteri cuidam doctore theol., D. *Christophoro Stiglmayr* Landshutano, resignavit. Qui inde Ingolstadium profectus ibidem titulo doctoris insignitus et postea parochus Landshutae ad St. Jodocum factus est. Contra hunc D. Stiglmayerum D. praefectus nihil ausus est, quia eius iussa nihili fecit. Verum etiam hic laudabilis D. cum magno desiderio et maerore Waidhofensium brevi ibidem mortuus est et solenniter non modo uti parochus sed etiam ut canonicus Frisingensis, modo paulo ante factus, sepultus est.

Hic D. parochus *Christophorum Hamelman* Moguntinum, theol. similiter doctorem, antea parochum Monacensem ad St. Mariam, successorem habuit, qui sese invicem obliquis oculis saepe intuiti sunt.

Tandem tamen post obitum Ser. Electoris Coloniensis D. praefectus coram regimine de multis graviter delatus a DD. commissariis auditus, examinatus et convictus de praefectura depositus est et rusticis subditis ad 3000 fl restituere debuit. Cui familiarissimus D. *Alexander Nagel* in officio praefecturae successit, quo cum D. parochus per amice hactenus convenit.

Supra dictum est, quemadmodum omnes DD. praefecti utriusque provinciae *Viennam* convocati fuerint, a quo autem et qua de causa, non adeo certo constat; per plures tamen ibidem septimanas commorati sunt. Atque hic vel propter malam aeris dispositionem vel etiam, quia aliqui iam senio confecti erant aut antehac non adeo bene de corpore constituti, plerique in graves infirmitates inciderunt, qui deinde propter morbi acerbiter aegre et cum magna difficultate domum ad suos reducti sunt, ubi infra annum plures e vivis excessere: scilicet *Cremiphansensis*, *Glunicensis*, *Florianus* et *Seittenstetensis* et alii; *Lambacensis* autem D. abbas *Burkardus a Furtenbach* in ipso conventu abbatum die 19. Aug. Viennae in Domino obdormivit ibique in praesentia aliorum DD. praelatorum quam honorificentissime sepultus est.

Eodem anno Rmus. abbas *Glunicensis*, *Mich. Rab*, qui ex monasterio *Seittenstetensi* a prioratu eo a fratribus postulatus fuerat et iam monasterio post aliquos malos et indisciplinatos apostatas, non pastores sed lupos, praefuit, qui clanculum ovile Christi dormientibus superioribus ingressi fuerant, solummodo cuticulam curantes, nihil plane de ovibus solliciti, hoc anno mense . . . post longas, diurnas gravissimasque infirmitates e vivis discessit. Multa in hoc suo pastoralis officio laudabilia praestitit. Unice enim illi curae fuit, quemadmodum rursus aliquem conventum monasticamque disciplinam institueret, quae iam penitus collapsa videbatur. Et quia sub eius regimine admodum gravia et difficilia tempora fuerant, tum propter rusticorum seditiosos conventus tum etiam propter continuata bella contra Turcicum furorem, inde necessario quasi volens nolens magna debita contrahere debuit, cum redditus monasterii ad tot exactiones minime sufficerent.

9. Octob. per literas propria manu a. D. *Glöselio* scriptas Dr. *Severinus*, parochus *Waidhofensis*, in inferiorem Austriam extra *Cremsum* ad arces Dominorum de *Lichtenstain*, qui iam catholici facti fuerunt, vocatus est, ea scilicet intentione, ut etiam suam Dominam matrem et alios de sua nobili familia ad catholicam fidem adduceret. Hactenus autem perversissimus et acerrimus praef-

Prälaten-
konferenz
in Wien.

Abt Michael
Rab in
Gleink.

Die Lichten-
stein.